

Tu Antiquitatem in Germanis loquentem adeo amas: proximum est, ut loquente quoque in AERE atque in Marmoribus ames.

Ceterum hic Liber tibi sistendus erat in amplissimo Augustae Vindobonensis Urbis theatro, ubi tot Aulae Caesareae muneribus fungeris. At is itinere converso ad Te properat, in altero Europeae magnificentiae theatro jam ab aliquo tempore degentem, splendidam nempe Legatione apud potentissimum Galliarum Regem a Te susceptam. Quotidianis certe experimentis ubique se prodit Augustissimi Romanorum Imperatoris CAROLI VI. sapientia; sed liceat dicere, tum potissimum enituit, quum Te ad Christianissimi Regis LUDOVICI XV. Aulam Legatum delegit. Ad sublime hoc ministerium arduis temporibus Viro opus erat, in quem rarae tum animi, tum fortunae dotes confluenter, & a quo humanae conditionis defectus, quantum fieri potest, abessent. Tu ille es, in quo conquievit providentissimi Caesaris judicium; atque haec tua maxima laus est, Te, tuasque vires perspicacissimi Principis calculo fuisse probatas. Itaque hactenus habuisti meritorum tuorum testem ac laudatricem Germaniam. Habes nunc & Galliam, quae in Te suscipit sanguinis Nobilitatem, a claris Majoribus acceptam; quae amplas Dynastias in Sacro Romano Imperio ad Te spectantes probe novit, atque in primis jam quaesitam Tibi gloriam peritiam ac fortitudine in bellicis rebus, simulque prudentiam in politicis negotiis. Aliiquid tamen est, quod quisque sapiens vehementius miretur, certumque habeo, apud politiores Gallos plurimum gratiae & laudis Tibi paritum: conjunctam in Te videlicet intueri cum Germanica gravitate Gallicam morum elegantiam, miram comitatem in verbis, perpetuumque Probitatis & Justitiae studium: quod unum ego reliquis encomiis antefero.

Quapropter Germaniae & Galliae, Amplissime Princeps, invideo, quibus hactenus datum est, delectabili Tuo asperetu, colloquiis Tuis ad sapientiam compositis, & quod plus est, Tuarum Virtutum splendore frui. Sed quando ab Italibz tanto Caelo divisum Te adire mihi non licet, & coram agnoscere, quem fama tantopere depraedicat: liceat saltem expressum in hoc Libro obsequium ad Te meum mittere. Is autem in ea Te Urbe deprehendet, ubi antiquae Eruditioni praeceps honor est, ubi Regia Inscriptionum & Humaniorum Literarum Academia hisce potissimum studiis eximium sibi nomen jamdudum conciliavit. Pergratum mihi erit, quod inter Literatos Viros versari labor iste meus incipiat; gratius, si eorum suffragiis probetur; gratissimum vero, quod illustre Nomen Tuum in illius fronte positum aspicientes, luculentius intelligent, Te ejusmodi Eruditione impense oblectari, Tuumque patrocinium erga Literas, earumque Cultores, Tuarum laudum non esse postremam: Votis interim meis a Deo Optimo Maximo supplex peto, ut Te ad grandia natum, incolumem diutissime servet, Tuaque operâ inter Christianos Principes pax nimium Populis utilis, summeque exoptanda, stabilis perseveret. Haec precabatur, haec ad Te, benignitate Tua fretus, perscribebat

CELSITUDINIS TUAE

Mutinae X. Kalendas Junias, Anno MDCCXXXIX.

Humillimus, Addictissimus, & Obsequentissimus Famulus
Ludovicus Antonius Muratorius.